AN OMNI ALVI FLUXUI
RADIX BRASILIENSIS?
QUÆSTIO MEDICA,

QUAM, Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur

AUCTOR,

CLAUDIUS BRECHOT, Ponteſianus, Diæceſis Rotomagenſis, Liberalium Artium Magiſter, & jam dudum Medicinæ Alumnus, die Sabbati ſextâ Decembris, anno 1777.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Mille mali ſpecies mille ſalutis erunt.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Univerſitatis Medicinæ, Typographum unicum.

M. DCC. LXXVII.

DISPUTATURI

N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. JOANNES - FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS - JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex, Adjunctus.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. CAROLUS LE ROY, *Pro-Decanus.*

N. D. GASPARDUS - JOANNES RENÉ.

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUX.

N. D. JOANNES SABATIER, N. D. LE ROY, *Coadjutor.*

ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO

D. D.

JOANNI-BAPTISTÆ ANDOUILLÉ,

EQUITI,

REGNI A CONSILIIS,

GALLIARUM REGIS ARCHICHIRURGO ADJUNCTO;

REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ SOCIO, &c. &c.

VIR ILLUSTRISSIME,

Hasce paginas tenues claro tuo nomini prodire gratum habeas. Semper novâ speravi voluptate, benig-

nitatem quâ Parentem amantissimum beasti, fore ut indè in filium transmitteres. At quantum onus mihi imponat hæc ipsa benignitas non me fugit, probè gnarum tanto Mæcenati minùs dignum fore rudem adhuc & infacundum Clientem. Istud tamen opusculum sereno vultu excipias ceu specimen summæ venerationis, observantiæ,

VIR NOBILISSIME,

Tibi devinctissimi & humillimi
Servi

CLAUDII BRECHOT.

QUÆSTIO MEDICA.

An omni alvi fluxui Radix Brasiliensis ?

NATURA sibi constat & viget dum omnia suam symetriam servant & concentus; si verò perturbentur, illicò infirmantur liquorum depurationes, & laborare incipit. Concentus isti multiplices ex diversis modificationibus, certâ cohærentiâ confluentes, quorum omnium, ut ex variis symphoniarum ordinibus, unica fit harmonia. In solidis ac fluidis pariter existit; eorum situ, motu, figurâ & dispositione explicatur, quorum si justa solvatur proportio, omnes sensim functiones, & corporis humani œconomia evertuntur, undè tot morborum ilias inter quos alvi fluxus non minimam sedem occupant.

I.

Alvi fluxus in genere, omnes per secessum ejectiones, quæ extrà ordinem & naturæ morem contingunt, complectitur. Eorum omnium quæ excernuntur unicus est exitus, diversi verò fontes à quibus derivantur. Hujus morbi multiplices species, quæ modò materiæ exuberantis indole, nunc à loco ex quo fluit hæc, interdùm depravationis gradu, aut ejus ubertate, diuturnitate, symptomatibusque discriminantur. In tenesmum, diarrhæam, lienteriam, cæliacam passionem, dysenteriam dividuntur, quibus accedit fluxus sanguinis hepaticus sive symptomaticus sive criticus. Qui tenesmo laborant, hos assidua desidendi cupiditas torquet, quâ nihil præter mucosum quoddam aut purulentum excernitur. In diarrhæâ adest biliosa, stercorosa &c. alvi dejectio, non sinè dolore sed absque sanguine. Dysenterici verò dejectiones experiuntur sanguine sæpiùs cruentatas cum torminibus tenesmodeis. Qui lienteriâ tenentur alimenta vix immutata, aliquandò cruda ejiciunt. Qui cæliacâ passione, chylum haud perfectè coctum foràs deponunt.

Tandem fluxus hepaticus ab eis diſtinguitur, in eo quod ſeroſi ſanguineique humores loturæ carnium ſimiles emanent. Undenam autem hæc in his fluxibus varietas? eſt certè vel à cauſis quæ diverſæ ſunt, vel à materiâ ejectâ, vel à morbi ſede &c.

I I.

Variorum horumce alvi fluxuum, cauſas procatharticas reperies ſemper vel in aëre aut frigidiore aut fervidiore, in ſuppreſſâ ſolitâ evacuatione, in crapulâ, immoderato exercitio, in pravâ & venenatâ alimentorum naturâ, vel potu aquæ paluſtris, lacuſtris, quam aura liberior nunquam verberat, vel fructuum horariorum comeſſatione. Quod ſi nulla tot cauſarum indicia præbeas, corporis intima penetralia attentè conſidera. Nam ſi latens & maligna cauſa à ſcorbuto, lue vereneâ, aut impeditâ tranſpiratione, febre malignâ, meſenterii obſtructione, vel imperfectâ alimentorum coctione in ventriculo, quæ propriis ſymptomatibus, excretis, & ægroti relatione intelliguntur: partem etiam affectam ex ſitu doloris, tumoriſve conjicies. Hæc omnia ſi tibi deſint, ad vires laborantis, ætatem attendas ſenio confecti; perſpicuum eſt à depauperato ſanguine ſpirituumque penuriâ alimenta in ventriculo imperfectè concoqui.

I I I.

His omnibus perſcrutatis, noſces an ab æſtuante bile, an à ſanguinis pravâ diatheſi, an à materiis crudis in ventriculo, an à vitiato chylo, an à vaſorum ſanguineorum ruptione in inteſtinis, aut à nimiâ ſanguinis ſolutione, an tandem à mucoſi in recto inteſtino contenti depravatione, aut ejuſdem recti tenſione, & ſenſu morbus ducat originem. Si bilis æſtuat, irritat inteſtina quorum fibræ circulares longitudinaleſque ſæpiùs contrahuntur, eorum glandulæ continuò compreſſæ, indeſinenter ſeroſum viſcoſumque humorem emittunt, abluuntur excrementa, quæ ſæpiùs impulſa bilioſo colore induta frequentiùs eliminantur. Fructus acidi, horræi, immaturi, aliaque edulia pravæ indolis, irritantia quæcumque &c. Aër caſtrorum, noſocomiorum, carcerum miaſmatibus inquinatus cauſa eſt dyſenteriæ cujus phœnomena arguunt. Membranam interiorem inteſtinorum inflammari, abradi, undè ulcera; ſæpè tandem membranam ipſam interiorem evelli, quæ cum fecibus nec ſinè frequenti cruciatu foràs ejiciuntur. Quâcumque de cauſâ præpediatur chyli tranſitus per vaſa lactea, fiunt dejectiones mucoſæ, ſubalbidæ quaſi chylaceæ. Hinc fluxus cæliacus. Acida humorum digeſtioni famulantium indoles, obſtructiones glandularum meſentericarum. Tum enim intumeſcunt glandulæ, lacteas comprimunt in meſenterii duplicaturâ diſſeminatas. Illas indè chylus permeare non valet, diu-

tiùs in inteſtinis ſtabulatur, corrumpitur &c. Si à morborum diutrunitate & nimio remediorum uſu ſpoliatur ſanguis energiâ, ſtupeſcunt ſpiritus, pylori fibras contrahere non poſſunt, relaxatur pylorus, alimenta idcircò minimè retenta ad inteſtina citiùs delabentia coctionem non patiuntur, & ferè intacta projiciuntur, undè lienteria. Si fluxus hepaticus à vaſculis in inteſtino ruptis, hepatis obſtructionibus tribuas, (nam vena porta tum comprimitur in illius ſubſtantiâ, ſanguis ſtagnat in ramulis inteſtinorum qui ad portam vergunt,) fermenteſcit, intumeſcit, extraducitur: idem venit, ſi ſpoliatus ſanguis balſamo, partes ejus nimis attritæ & diviſæ per vaſorum & glandularum poros ob tenuitatem ſuam ſtillant, illam tamen aut alteram cauſam ſedulò inquiras, variam etenim repetunt curationem. Denique ſi mucus in recto inteſtino contentus vel acrior ſit, vel auferatur, ſi ipſius recti fibræ hæmorrhoidum cauſâ extendantur, aut nimio ſpirituum influxu membrana interna ſenſu doloris magìs afficiatur, ab irritatione aſſiduâ deſidendi erit & ferè inanis cupiditas, undè teneſmus: hinc patet diverſam fluxuum eſſe originem. Nunc Radix Braſilienſis ad omnes implendas indicationes conveniat, perquirendum venit.

I V.

Omni memoriâ antiquior apud Braſilienſes & Hiſpanos uſus radicis Braſilienſis dictæ. Eximiâ ejus virtute ad profligandos quoſdam alvi fluxus ita invaluit, ut ad eam ſæpiſſimè confugiant. Diligentiâ *Guillelmi Piſonis* in Hollandiâ promulgatum eſt hoc divinum præſidium, latiùſque ejus ſcriptis diffuſum, in univerſâ Europâ celebratum fuit. A neſcio quo artis experte poſteà fucatum Lutetiam allatum eſt, ubi tam exitiales exitus, miniſtrantis imperitiâ, ſubivit, ut tanquàm lethale venenum prohibitum; in manus tum cujuſdam Pharmacopolæ Pariſienſis, tum alterius mercatoris transfugit, ubi incognitum incultumque ab omnibus deſtitutum eſt. Intereà magna hujus radicis copia cuidam Eccleſiæ Cathedralis Pariſienſis Sacerdoti ab amico relicta eſt, qui cum pariter nomen ejuſque legitimum uſum ignoraret, eam penitùs neglexit donec aliquis illam periclitari auderet, quod intra paucos annos contigit. Quidam enim Advena magni nominis cupidus, & ſtupenda ſpectans, de mercatore, ut notum eſt, deindè de Sacerdote, magnam partem emit. Hanc omnibus ignotam audacter expertus eſt, & feliciori auſpicio in ſcenam ſub aliâ ſpecie, & ut ita dicam, perſonatam reduxit miris ſuis operationibus, illum ita hâc vice manifeſtavit, qui eam hominum beneficio creaverat, ut cum ſuis effectibus à *Piſone* decantatis, unus ex clariſſimis noſtris Collegis tam divinum pharmacum odoratus fuiſſet, mentem ſuam illuſtriſſimo Archiatrorum Comiti tunc regnanti communicavit, qui nomen ejus explorans, illi declaravit. At magnani-

mi Regis noſtri munificentiâ larvam tandem deponens , illud deinceps retinuit , & ab omnibus ipecacuanha appellatum eſt. Illius igitur uſus quotidianus ad illuſtriſſimi Batavi pericula ingenuè referimus , cujus fidens audacia ampliſſimè remunerata eſt. Sed aliorum artis peritorum obſervationibus excultum tutiùs nunc uſurpatur. Analyſi chimicâ ejus dotes etiam ſcrutati ſunt , quâ phlegma & ſpiritum acidum elicuerunt , cum quibus ſal tartari & ſpiritus ſalis armoniaci fermentant , quibuſve color rubeus florum malvæ evolvitur. Ratione irritationis quam parit in ventriculo vomitum provocat , & viſcidam materiam ad inteſtina præcipitat. An vomitus aut catharſis alvi fluxus quoſcumque debellare poterit ? An ſecundùm vulgi mentem Radix Braſilienſis omni remedio præferenda ? Experientia docebit.

V.

Si à primarum viarum obſtructione dyſenteria , priùs venæ ſectione & ſpiritus ſedes , morbi cauſam deindè expellas vomitu , ad Radicem Braſilienſem , cautè confugias. Si bilis æſtuat , cave ne furorem irritando augeas , ſpirituum impetus venæ ſectione , narcoticis pacabis , bilis emulſionibus lenienda , demum expurganda catharſi. Si à meſenterii obſtructionibus paſſio cæliaca , quidquid obſtructiones ſolvit , opiatum martiale , aquas minerales elige ; ſi verò ab inſpiſſato chylo , aut acido , diluentia , abſorbentia exhibe. Si à pyloro relaxato lienteria , quidquid illius fibris tonum reſtituere & ſpiritibus energiam poterit , balſamica nempè & adſtringentia proponas. Si à ſanguinis nimiâ ſolutione fluxus hepaticus , ſanguinem renova , recrea : balſamica conferunt , emulſiones , cogentia ; ſi à vaſis ruptis quæ conſolidant & ſymphyti majoris decoctum , mucilaginoſa leviter adſtringentia præſcribe. In teneſmo , ſi à mucoſi humoris acritudine , emulſiones , anodyna , maximè ſub enematis formâ. Si à nimiâ fibrarum tenſione laxantia. Si ab hæmorrhoidibus hirudines , demulcentia , vaporum balnea &c juvabunt. Tandem ſi à lue venereâ aut ſcorbuto procreatur , antiſcorbuticis & venereis profligandos alvi fluxus , non verò auxiliis jam enarratis , quæ tamen tanquàm palliativa in uſum advocari poterunt.

Ergò non omni alvi fluxui Radix Braſilienſis.